

# NIGRAE SEV MAR

TIANAE SYLVAE TABVLA, QVAE IN BRIS-  
goiam usque extenditur.



Habet autem Brisgoia uocabulum à Brisaco metropoli, tamen si temporis successu Friburgum superauerit Brisacum in magnificentiâ & diuitijs. Fuit hoc Friburgū circa annum Christi 1100. ex uilla in ciuitatem mutatum, habuitq; proprium comitem, sed cum non conueniret inter illum & Friburgenses, anno Christi 1367. ciues sese redemerunt ab eo, suppeditante duce Austriæ pecuniam, cuius dominio sese subiecerunt. Conditores oppidi fuerunt duces Zeringen. & horum primus uocatus fuit Bertholdus, cui successit frater eius Cōradus, & hic habuit filium Bertholdum nomine, qui anno Christi 1178. condidit Friburgū in Oechtlādia. Huic successit Bertholdus filius, qui ex filia comitis à Kiburg duos sustulit filios, sed quos nobiles ueneno sustulerunt. Cumq; ex genealogia illa non superesset nisi Bertholdi soror, quam habuit Egon comes à Furstenberg uxorem, obuēnit illi hæreditatis iure Friburgum. Cumq; inter comitem illum & Friburgenses non conueniret, ut iam diximus, Friburgenses tradita comiti magna pecunia, elegerunt duces Austriæ pro dominis.

Anno Salutis 1450. Albertus dux Austriæ fundauit Academiam Friburgensem. Est parua regio Brisgoia, sed supra modum fert ilis in uino & frumento. Vinum in multis locis est tam nobile ut Alsaticum.

NIGRA SYLVA ab obscuris abiegnis arboribus, quibus hæc regio abundat, habet denominationem, fuitq; olim pars Herciniæ syluæ. Terra est ualde montosa, aspera & frigida, & propterea multis in locis inculta, nisi quod ex abietibus plurimum passim colligitur picis ac resinæ, unde quidam uictum sibi parant. Habent etiam habitatores plurima pecora, ex quibus plurimū colligunt lactis, butyri & caseorum. Sunt alij qui ad miniculo annuum ex montibus illis prouentium, proceras arbores ædificijs aptas educunt, Rhenensibusq; ciuitatibus aduehunt, & non paruum emolumentum per annum hinc corradunt. Amnes insigniores ex montibus illis profluentes sunt, Kintzig, Murg, Neccarus & Danubius. Oritur autem Danubius non ex mōte aliquo magno, sed ex terra plana, absuntq; montes ferè per miliare unum germanicum, nisi quod fons eius à tergo habet iugum paruum, altitudine decem aut duodecim cubitorum, quo pars illa terræ reliqua planicie eminentior est. Et est scaturigo illa non parua, sed tanta ut illico rotas molares suo impetu circumducat. Nam oritur fluuius iste, toto orbe celebris, in uilla quadam, quæ ab ipso denominatur Don Eschingen. Vocant enim Germani Danubium Donaw. Accurrentibus autem undiq; ex montium conuallibus torrentibus, crescit illico Danubius, ut post dimidiū miliare à sua origine, uix possis equo illum transire, ubi & tam latus est ut uir lapidis iactu uix utramq; ripam comprehendere queat, id quod ego Munsterus in Neidingen experimento didici. Sed reuertar ad Nigram syluam. Hæc in locis planioribus habet infinita oppida, inter quæ insigniora sunt Rotwyla, Villingen, Horba, Wolfach, Waldkirch &c. Habet & quàm plurimas arces, præsertim Fürstenberg, Zimbern, Wartenberg, Schiltach &c. Habet monasteria multa, S. Blasium, Hirsow, Herrē Alb, S. Georgium, S. Petrum, Alpersbach &c. Imperant Nigræ Syluæ Marchio Badensis, Dux Austriæ, Dux Wirtembergensis, Comes à Fürstenberg & alij quidam Comites.